FAMÆ POSTHUMÆ

Excellentiſsimi & Illuſtriſsimi HEROIS

ac DOMINI

ROBERTI DEVEREVX,

Comitis Eſſexiæ, Vice-Comitis Hereford-

diæ, &c.

Generalis Belli, pro Religione & Libertate Patriâ, in motu civili à Supremo Regni Angliæ Senatu electi DUCTORIS,

Inter Honoratiſſ. Pares Toga Sagoque Nobiliſſimi

Feliciter NATI	Anno	1589	Menſe	SEPT.	Die	14
Piè in Dom. DENATI						
Magnificè HUMATI	Anno	1646	Menſe	OCT.	Die	22

poſuerunt.

Londini Excuſum, M. DC. XLVI.

RB 23. a. 23015

BRITISH LIBRARY

30.11.00

I.

AD FAMAM.

FAMA *tenax veri, mœſtarum nuncia rerum*
Per Mare, per Terras ocyus euge, vola!
ALBIONEM *luſtrato* ARS, *quem* NATURA *beavit,*
Firmo ceu muro, cinxit & OCEANUS.
GENS *ubi cara* DEO *eſt,* PIETATIS *nobile Templum,*
CHRISTUS *ubi ſedem gaudet habere ſuam.*
Splendida VIRTUTUM *Domus, Hoſpitiumq́ perenne*
MUSARUM, *doctis* MATER *amica Viris;*
Linguæ excůlta ſuæ dulcedine; CODICE *dives*
Litera quo felix exhibet acta DEI.
Multa legit, præclara facit, ſcribitq́ legenda
Plurima, queîs merito Natio plera caret.
Mœſta refer; Magni BRITONUM PARS *Magna Senatus,*
ESSEX *occubuit, ſtirps generoſa Patrum!*
Cui PIETAS *ex Mente, ex Moribus Enthea Virtus*
Ex genio CANDOR *fulſit, ab Ore* CHARIS.
Ne TE FAMA *morer, non neſcis cætera, ſolers*
Ornabis TUMULUM, *dummodo carpis iter.*
Dummodo carpis iter, VAH! *quæ lamenta patrabis!*
Quas lachrymas PARIBUS, FAMA *ciebis* HERIS!
Adde tamen, nos, ut meliori ſorte precari,
Vivant; ô firmet vota preceſq́ Deus!

Ad Angliam.

Motibus Civilibus maximè concuſſam.

REs mira dictu; quæ Siniſtritas Domos
Agit BRITANNAS? *Quanta fervent fulmina?*
Quæ Fama terret? Qui necant nos Nuncii?
SOL *occidit, ſunt Nubium pleni dies!*
Eſt tempus atrum, ſunt reciprocæ Vices!
Dolor dolori, fletibus fletus frequens
Succedit, ATE *ac* ANGLICIS *cervicibus*
Adhæret, horrida, aſpera, dura, tetrica!
Comitatur illam Parca parcere inſcia,
Quæ longiores invidet vitæ dies
Bonis, ſed aufert, & diurnare haud ſinit.
ESSEXIANÆ *columen hæc primum Domus*
Limenque trux proſtravit & rapuit ſolo.
Quid flere prodeſt? Quid nimis juvat queri?
Homo caducus Funeri debet nihil,
Mortalitatis præter additam pyram,
Præterque corpus mentis Entheæ domum;
Aſt anima ſummis vivit uſque ſedibus
Cœleſtis Anima rediit fuit ubi prius.

Ergo

Ergo nefas HERO A *flere, cui recens*
Poſt abſolutæ lucis uſuram brevem
CORONA VITÆ, *Cælitum pignus datur.*
Mens ſcandit aſtra, Nomen in terris manet.
HEROS *periclis totq́ tempeſtatibus,*
Ereptus amplo navigat ſalvus vado.
Nefas & incuſare tempor is vices.
Decreta ſic ſunt Sec'la ceu jubet Deus
Deus innocentes qui juvat, tegit, fovet,
Caſtigat ut probos Parentes Filios,
Deus hoſtibus qui non dat infirmum gregem.
Perſta BRITANNE; *perſtat à caſtris tuis*
MONARCHA *Summus, Oſor eſt Tyrannidis*
Orbitaq́ rerum ſolius ſtat in manu.
Nec deerit uſpiam piis Conatibus,
Qui cuncta verſat SCEPTRA *ſub* SCEPTRO *ſuo.*

III.

Ad Honoratiſſ. & Nobiliſſ. in Regno Angliæ, utriuſque Parliamentariæ Domus Proceres & Optimates.

MAgnanimi Proceres, queis nil auguſtius exſtat
In Britonum Regnis, æquo de Numine lecti,
Regis erat, Veſtri, Populi ſincerus amator
Portio magna COMES, *cæptum ſopire dolorem*
Diſcite; Vos alio Patriæ vocat ardor & arctæ
Publica cura rei, Divini & cultus honoris.
Conſcripti Patres, Vos longum vivere fas eſt.
Vos bello aſſeritis Patriam, paciſq; triumphos
Quæritis, egregios Vos Libertatis honores
Fortius erigitis, pro Libertate parati
Vel ſuprema pati, nulloſq; horrere labores,
Veſtra per ingentes latè laus diditur oras.
Res divina, Salus populi, Veſtra auſa loquuntur.
Et Deus ipſe favet, ſolo quo vindice Regni
Stant Faſces; Regum vix obſervantior ullus
Eſt populus, ſanctæ nec pacis amantior alter
Anglis; Hæc fuerat veſtræ laus propria Gentis.

Angliæ

Anglia adhuc Proceres, firmæ tibi ſuntq́ Columnæ,
Eſt pia Nobilitas, ſunt Cives ſtrenua in armis
Pectora, queîs menti reſplendet imago paternæ
Virtutis, quorum fauſto ſub pectore poſtus
Vivit amor patriæ, atq́ innatus inæſtuat ignis.
Viribus huc igitur junctis contendite cuncti,
O Patriæ Nati deditiſſima pignora Marti,
Concordes animis juſtam defendite cauſam.
Non aberit cæptis Deus, Virtuſq́ virilis.
Talia ſed quorſum? veſtræ jam Patria dextræ eſt
Tradita delecti Proceres, vos publica poſcit
Utilitas: Tandem vos pharmaca quærite rebus.
Ac ubi opus fuerit quibus eſt commiſſa poteſtas
Bella gerant: precibus populus pia Caſtra juvabit.

Barth. Mikysko ex. Boh.

EPITAPHIUM.

Gratia, Dexteritas & Bello vivida Virtus,
Et veræ verus Relligionis honos;
Quæ bona nulla diu patitur ſuper eſſe maligna,
Si ſolita his eſſet parcere Parca bonis.
Non eſſes nobis medio ſic raptus in ævo
ROBERTE, O Patrii gloria ſumma Soli!
Nec Domus in luctu DEVERUXIA tota jaceret,
Uno nec tecum tecta forent tumulo.
Dexteritas, Probitas, & Bello vivida Virtus
Et veræ verus Relligionis honos.

ALIUD.

SI quis erat verè flos Nobilitatis avitæ,
Si quis erat Patriæ Gloria, Martis Honos;
Quem neque ridentis magna inconſtantia ſortis
Præcipitat, dubiæ nec gravis ira Deæ.
Si quis erat juſti Cuſtos ac Oſor iniqui,
Si quis erat nivêæ Simplicitate gravis,
Si quis erat veræ verus Pietatis Amator:
Si non ille COMES, ſim male ſanus, erat.

GASPAR HLAVVACIUS,

Exul Bohemus.

FINIS.

BRITISH